

legis vires gerit, induci posse. Hinc receptum est, ex interpretatione capituli 18. de sent. excom. in 6., ut non aliis irregularitatis nota intoratur, quam sanctione generalis juris, quod sive à Pontifice Maximo, sive à generali Concilio editum, sive etiam quod generali totius Ecclesie consuetudine indictum fuerit, argumento Clementis, de arate & qualitate prædicendorum. Eam ob rem hodie insuper habetur, quod olim de singulari alicujus Provincia consuetudine tradebatur in cap. 6. de Cler. conjug. & in cap. 2. de filiis Presbyt. in 2. Collectione. Hinc concludi potest, poenam irregularitatis indictam in veteris canonibus editis in Conciliis minimè generalibus, quorum plurimi extant in decreto Gratiani, hodie non vigere, nisi tales canonis proponantur, qui sint in universa Ecclesia recepti; quod demonstrari posset, aut ex moribus, aut ex rebus judicatis, aut ex obtentis dispensationibus. Et quidem recens hæc disciplina, quæ fundamentum habere cepit in dicto cap. 18. de sentent. excom. in 6., certa ratione non destituitur; uti enim causa irregularitatis indicendæ est cultus in sacrum ordinem deferendus, non aliud

CAPUT III.

De generalibus irregularitatis causis, & effectibus.

Sunt potius præcepta ecclesiasticæ disciplinae, quam morum, ea, quæ irregularitatem induxerunt. Quamquam enim verissimum sit, doctrinam morum postulare, ut ii apud Deum intercessoribus officio fungantur, sive, quod idem est, sacra obeant ministeria, qui puri sint ab omni labe; dum tamen generale hoc principium certis modis, & rationibus ad singulares species accommodatur, disciplinam sapit; unde fit, ut neque omne crimen, neque omnis labe neque omnis defectus irregularem faciat, sed tantum crimen illud, labe, vel de-

fectus, quam commune, attendendum erit ubi est causa toti Ecclesie communis interest præterea in hac parte, uniformem esse Ecclesie disciplinam, & parum decet, eum in una diocesi, vel provincia irregularem esse, qui in alia ad sacros ordines facile admittitur. Quod si irregularitas est juris impedimentum, nomen juris rectius tribuitur disciplinae à generali Ecclesia probatae; quam singularibus unius, aut alterius diocesis, vel provincie statuit.

Postrema definitionis verba indicant irregularitatis effectus; videlicet is, qui irregularis est, ab officiis sacris sive susceptis, sive suscipiendis arceatur. Quod cum ita sit, frustra indiceretur irregularitas in feminas, aut in masculos necdum baptizatos, utpotè qui jam divino jure ab ecclesiasticis muneribus semoti sunt. Atque eadem ratione concludi potest, eum, qui irregularis est, sicut ab ordinibus, ita & à prima tonsura excludi, cum ipsa ad tonsuram admissio supponat eum, de quo spes concipiatur brevè futurum, ut ad ordines promoveatur. At verò de effectibus irregularitatis fusiùs & clarius in sequenti capite disserendum.

fectus, cujus causa canonibus irregularitas indicta fuerit; unde præterea fit, ut tota hæc res vissitudinibus; seu mutationibus subjacere possit, & quæ causa aliquando irregularem fecisset, alio tempore irregularem non faciat. Itaque disciplina ecclesiastici juris duas causas recensuit, ob quas quis à sacris ministeriis rejiceretur, videlicet aut crimen, aut defectum, cap. 14. de purgat. canon., crimen veluti rebaptizationis, defectum, veluti servilem conditionem, vel etiam utramque, veluti in eo, qui dolo homicidium admisit, quem irregularem facit

cit. & crimen ipsum homicidium, & defectus, ut vocans, lenitatis, qui in homicidia deprehenditur. Fateor quidem, cum primum in corpore canonum nomen irregularitatis usurpari cepit, dici potius consuevisse de defectu, quam de delicto. Etiam antiquiora monumenta, in quibus nomen irregularitatis occurrit, sunt, capitulum 10. vers. Non tamen de renuntiat., capitulum 6. de bigam. non ordin., & capitulum 33. de testib., atque in dicto cap. 10. agitur de defectu natalium, quemadmodum in dicto cap. 6. & 33. de defectu Sacramenti. Verum si non de nomine questio fiat, sed de ipso irregularitatis impedimento, adparebit, non eos tantum, qui certo defectu laborant, sed & eos, qui certorum criminum rei sunt, ex sanctione veterum canonum exclusos à divinis ministeriis fuisse, quemadmodum inferius per singularem exempla demonstrabitur. Differunt invicem duæ istæ irregularitatis causæ, primò, quòd defectus etiam involuntarios irregularem faciat, quòd de crimine dici non potest; secundò, quòd est primo proximum, quòd nihil excuset ab irregularitate, ex defectu; in irregularitate autem ex delicto quædam esse possint excusationes, illa nimirum, quæ immunen à culpa reddunt; tertio, quòd ubi irregularitas ex defectu proficiscitur, non poena sit, sed impedimentum, at quæ ex delicto nascitur, & impedimentum sit, & poena; quarto, quòd omnis irregularitas ex delicto tantum finem habeat dispensatione, & irregularitas ex defectu finem habere possit etiam ex aliis causis, siquidem cessante defectu, etiam cessat ut plurimum irregularitas. Dixi ut plurimum, ut indicarem, exceptionem adjuvanti ad regulam, quæ exceptio locum habet, ubi defectus ex voluntate proficiscitur, qualis est defectus lenitatis in eo, qui justo homicidio causam præbuit, & defectus Sacramenti in eo, qui vel viduam uxorem duxit, vel secundas nuptias contraxit.

Quoties irregularitas ex delicto nas-

citur, regula est, tale delictum esse debere, quòd sit grave, sensibile & consummatum, nisi in jure aliter cautum adpareat. Debet esse in primis grave, can. 1. dist. 81., cum irregularitas, quæ in poenam delicti indicitur, gravis poena sit, proindeque nunquam pro levi delicto inferenda. Deinde debet esse sensibile, proptereaquòd ad internos actus, qui sola mente concipiuntur, tenenturque, externa Ecclesie judicia minimè pertinent. Denique debet esse consummatum, quia cum leges poenas in crimina dicunt, de criminibus perfectis & absolutis intelligendæ sunt, nisi legum earundem sententia aliud exprimat, ut mitior, quoad fieri possit, in poenabilibus causis interpretatio adhibeatur, argumento canonis 4. dist. 51., necnon capituli 2. & 21. de homicidio. An delictum publicum esse oporteat, sive aut publicè notum, aut in judicium jam deductum disputari solet. Sane olim certum erat, in iis criminibus, adversus quæ constituta fuerat irregularitatis poena, nihil interfuisse, an crimen occultum esset, an publicum, an præterea in judicium deductum: fuit enim semper irregularitatis impedimentum juris quòd etiam sine iudicis sententia operat. Non opus est multis ad id demonstrandum, quando viri eruditissimi jam id confecerunt, inter quos Vanespen in parte 2. juris Eccles. univ. tit. 10. cap. 6. Sed à temporibus Isidori Mercatoris, qui uti dictum superius est, quum de poena depositionis ageretur, Clericis utcumque graviorum criminum rei nonnihil induisit, cepit hæc disciplina immutari ratione quorundam criminum, non tamen universorum; siquidem verebatur Mercator, ne si in omnibus criminibus veterem disciplinam immutaret, difficilis admodum executio esset novarum, quas ipse vulgabat, traditionum. Itaque modestius ipse tradidit posse Episcopum in quibusdam criminibus indulgentiam facere, sed reliquit locum disputationibus, in quibusnam criminibus juris relaxatio admittenda foret.

Paulatim & sensim scholastici sibi blanditi fuerunt, eoque usque ut saeculo duodecimo, quo disputationes scholasticae aut inire primum, aut alacrius fervere coeperunt, diversi diversa sentierunt, uti legitur in can. 23. dist. 50. atque eandem ob causam puto, etiam Sacerdoti homicidas parcere voluisse Episcopum illum, quem acriter obijurgavit Joannes VIII. in can. 41. dist. 50. Tandem post diuturnas concertationes, opinionumque conflictus receptum est, ut insuper habitis veterum canonum sanctionibus ut plurimum permitteretur reis criminum graviorum, si occulta forent, obire sacra officia, dummodo poenitentiam agerent, cap. 4. & ult. de tempor. ordin. cap. 7. de cohabit. Cler. & mulier. Ceterum & eo ipso tempore, quo haec juris relaxatio admitti visa est, in primis exceptio adjecta est in crimine homicidii, quod etiam si esset occultum, reum poenitus à sacris officiis excludere perrexit, cap. ult. de tempor. ordin., Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de Ref., quod & ego puto servatum in crimine simoniae juxta ea, quae superius suo loco tradita sunt: deinde consilium praebatur reis criminum occultorum, ne ad sacra ministeria accederent, cap. 4. de tempor. ordin., quamquam praecipio acceri non possent, uti in eodem capitulo legitur. Insuper facultas fieri coepit Praelatis regularibus, ut dissentire possent ordinationi suorum subditorum, si forte illi noverint, istos indignos esse sacra ordinatione causa gravius alicujus occulti criminis, cap. 5. de tempor. ordin. Denique haec ipsa facultas regularibus Praelatis concessa à Lucio III. in dicto cap. 5. fuit similibus ferè verbis protracta ad Episcopos universos respectu Clericorum omnium in Concilio Tridentino sess. 14. de Ref. cap. 1.

Effectus irregularitatis ad duo generalia, & summa capita facile exiguntur. Primum est, ut irregularis impediatur, ne ad sacra ministeria admittatur; alterum est, ut qui semel ritè admissus fuit ad eadem sacra ministeria, ab iis repel-

latur, quum in irregularitatem incidit. Multas habet partes haec observatio; si quidem cum quis ardeat, aut ne sacra ministeria, officiaque suscipiat, aut ne suscepta exequi pergat, & de ordinibus quæri potest, & de beneficiis, quorum non eadem esse ratio videtur, postquam praesertim collatio beneficiorum à collatione ordinum sejuncta fuit. Certum h' primis est, non irritam ideo esse ordinationem, quod irregularis ille fuerit, qui erat irregularis, cap. 10. vers. *Persona* de renuntiat., vis enim eorum, quae jure divino formam acceperunt, qualis est sacra ordinatione, ecclesiastico jure evacuari non potest. Deinde certum est, ordinationem illius, qui ex censura canonum irregularis est, illicitam prorsus esse, adeo ut irregularis ne prima quidem tonsura initiari possit, propterea quod tonsura actus Ecclesiae sit, quo quis proximè ad ordines preparatur, inane autem sic preparari eum, quem sacri canones ab ordinibus arcent. Hinc fit, ut irregularis ordinatus nec jure, nec ritè possit in adepti ordinis officio ministrare, poenis gravibus coereendus si forte ministrare ausus fuerit, cap. 1. & passim de Cler. excom. ministr. Excipite tamen extremae necessitatis casum; nam irregulari Sacerdoti licebit baptismatis Sacramentum, non tamen solemniter, tunc ministrare, qua in specie non tanquam Sacerdos, sed tanquam laicus baptizans haberetur; item licebit Sacramentalem absolutionem, ubi alterius Sacerdotis copia desit, impertiri, argumento cap. 7. sess. 14. in Concilio Tridentino. Atque haec, quae de executione ordinum dicta sunt, locum etiam habent universa, quoties irregularitas post ordinationem supervenerit. Quod si agatur de beneficiis, quae concedantur irregulari, distinguendum est inter beneficium jurisdictionem adnexam habentia, atque inter ea, quibus nulla cohaeret jurisdictione. Quotiescumque nulla beneficiis cohaeret jurisdictione, irrita omnino erit & sine ullo prorsus effectu beneficii colla-

latio, adeo ut institutus nullum in fructibus beneficiis jus nanciscatur, imò nec admittatur ad resignandum beneficium in gratiam alterius, propterea quod jure eligendi etiam destituatur, cap. 18. in fine de sent. excom. in 6., cap. 6. de corpore vitiat. Hinc deducitur, irregularem, qui beneficium contra canones sit adeptus, ne praesentare quidem posse, si forte beneficium ecclesiasticum jus patronatus cohaereat, cap. ult. de excess. Praelat., quamquam aliud servetur in jure patronatus laico, utpotè quod à sacro ordine minimè pendeat. At si beneficiis jurisdictione cohaereat, certum est, etiam licite eam jurisdictionem exerceri, quoties urgens sit jurisdictionis exercenda necessitas, uti modò traditum est de Sacramentali absolutione. Quando vero urgens necessitas non sit, illicitè exerceri jurisdictionem certissimum est, dicto cap. 6. de corp. vitiat., cap. 20. & 22. de elect., Concil. Trid. sess. 14. de Ref. cap. 7. Tantum dubitari posset, an nulla omnino jurisdictione sit, ac propterea actus inde proficiscentes omni effectu careant. Ego non puto, jurisdictionis actus irritos reddi, nisi crimen esset publicè notum, ne aliàs occasio detur fidelibus dubitandi de vi Sacramentorum à Sacerdotibus occultè criminum reis perceptorum, quod sanè probatur apertissimis canonum monumentis, cap. 22. de electione, cap. 7. de cohabit. Cler. & mulier., cap. 10. de Cler. excom. ministr. Quod si Clerico ordinato irregularitas superveniat, Clericum eundem ab officiis sacris abstinere oportere certum est; non tamen semper abstinere oportebit à commodo beneficii. Vel enim quis irregularis est ex uno defectu, cui nulla culpa, aut dolus causam dederit, vel irregularis est ex culpa, vel dolo. Si primum, adhuc admittitur Clericus ad fructus beneficii dato coadjutore, qui munera sacra obeat, quasi beneficium illud non tanquam verum beneficium, sed tanquam prestimonium ad relevandas Clerici necessitates habeatur, cap. 1. & toto tit. de Cler.

agrot., cap. un. eod. tit. in 6. Si alterum, regula generalis est, Clericum ab omni jure beneficii cadere, cap. 10. de excess. Praelat., ita ut beneficium illud tanquam vacans ab alio impetrari queat. Non tamen distitit, quin quandoquò ex dispensatione reis permittatur, ut beneficium, aut in totum, aut in parte, fruatur, praesertim si eos poenitet, iisdemque veniam ab Ecclesia mereantur, uti liquet in conspectu capituli 3. ne Clerici vel Monachi, cap. 2. in fine de Cler. pugn. in duel., cap. 2. de Cler. non ord. ministr. Quæri adhuc potest, utrum irregularitas eum pariat effectum, ut Clericus omni clericali privilegio exatur. Nullibi id reperitur generaliter cautum, proindeque concludendum erit, Clericum irregularem factum à sacro quidem officio, aliquando etiam à beneficio cadere, non verò à privilegio seu fori, seu canonis. Exceptio est perspicua in cap. un. de bigamis in 6. in ea irregularitatis specie, quæ oritur ex bigamia, cujus causa Clericus & à foro cadit, & à privilegio canonis, ob verba illa generalia Concilii Lugdunensis omni privilegio clericali decernimus esse nudatos, & coactioni fori saecularis addictos. Similem quoque exceptionem adiecisse videtur Alexander III. in Clerico, qui incidit in apostasiam, sive qui relicto ordine clericali & habitu suo tanquam laicus conversatur, cap. 1. de apostatis. Verùm ego vercor, ne ista quidem poena sit apostatae Clerici, attamen ab irregularitatis poena sejuncta, cum nullibi appareat, Clericos militiae ecclesiasticae desertores fieri eam unam ob causam irregulares. Ipsum dicendum est in conspectu capituli 23. & 25. de sent. excom., ubi privilegio canonis declarantur exuti post tertiam monitionem, qui habitu ecclesiastico derelicto arma militaria tractavissent; siquidem hæc quoque poena esse debet apostasiae, non tamen exinde colligitur, Clericos ibidem memoratos irregulares exitisse, dummodò ponatur, Clericos illos neminem occidisse, aut mutilasse.